

Inst. Homo non est jam perfecte rei dominus si eam dedit vel promisit. Ergo neque Deus est perfecte dominus gloriae si eam meritis debet.

Resp. Concesso *antec.*, negatur *consequentia*. Et disparitas in eo est: 1.º quod homo non est dominus alterius hominis et jurium ejusdem: è contra Deus. 2.º Instans, in quo homo est perfectus dominus, et instantia sequentia donationem vel promissionem non sunt idem instans, et ideo transit perfectum dominium: non ita in Deo; sed semper est in absoluto et perfecto dominio; scilicet, quod possit de omnibus disponere secundum suum beneplacitum, non contra suum beneplacitum.

285. Obj. 2.º Nullus potest ex justitia obligari propter ea bona, quae, antequam ab ullo ei tradantur, sua sunt. Sed omnes actiones Christi et creaturarum, antequam Deo offerantur, ipsius sunt: ergo nequit Deus justitia constringi.

Resp. dist. *maj.* Non potest obligari, si ea bona velit, quatenus sua sunt; conc. Si ea bona velit, tamquam obsequia bonis aequalibus compensanda; nego. Et contradist. *min.*, negatur *consequentia*.

Hanc Dei insignem bonitatem et excellentissimum dominium significavit Trident. (1): «Cujus tanta est erga omnes homines »bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.» Etenim actiones Christi et justorum Dei sunt et a Deo donata: ita tamen donavit, ut non repeteret nec reciperet oblata nisi aequalibus recompensata: sicque ejus dona nostra facta sunt merita. Dum autem Deus eam facit aequalitatem, justitiam exercet, et quidem commutativam, quae facit aequalitatem rei ad rem. Ita fit, ut multiplex dominium in eandem Deus habeat rem: primo directe; secundo, indirecte, quia quod possidet creatura et Deus in ea possidet; tertio, ex justa et aequali commutatione.

Obj. 3.º Pro his quae ex justitia recipimus non debemus gratias agere; puta, pro libro empto. Ergo Christus et justus pro gloria emerita non tenentur ad gratiarum actionem.

Resp. nego *conseq.* Poterat enim Deus nostra et Christi exigere opera, quin se ad quidquam retribuendum obligaret: ideoque pro tanta bonitate, ut Trident. dicit, jure debemus gratias rependere.

286. Obj. 4.º Ut juste Christus Deo satisfaceret, deberet esse alter a Deo; nemo enim sibi satisfacere valet. Sed Christus est ipse Deus: ergo ei nequit satisfacere.

Resp. Dist. *maj.* Debet esse alter undequaque; nego *maj.* Aliqualiter, seu ita, ut sufficiens respectus justitiae exurgat; conc. Chris-

(1) Sess. VI, 16.

tus, quatenus homo, est Deo inferior, ita ut potuerit obedire, mereri, satisfacere. Potest quoque Deus, ut fatentur adversi AA., erga Christum fidelitatis debitum habere et justitiae distributivae. Jam vero, hi respectus exigunt etiam ut Christus sit *alter* a Deo: nempe Verbum, ut subsistens in humana natura, habet, tamquam si esset alter, diversos respectus ad Deum et se ipsum, ut subsistentem in natura divina.

Obj. 5.º Ut juste quis satisfaciatur, debet ex suis retribuere, non ex bonis creditoris. Sed dignitas Verbi, ex qua valorem habent satisfactiones Christi, pertinet ad ipsum creditorem. Ergo.

Resp. Dist. *min.* Dignitas Verbi, in se seu formaliter sumpta, pertinet ad ipsum creditorem; conc. Dignitas Verbi, ut communicata operibus, non pertinet ad debitorem; nego. Nam opera Christi et Verbum divinum constituunt quoddam compositum, quae de causa fiunt summe dignificata: sic autem dignificata humanae sunt naturae donum ac ornamentum, quo Christus juste meretur.

287. Obj. 6.º Justa satisfactio ab ipso offensore exhibenda est; ergo non potest Christus pro aliis satisfacere.

Resp. dist. *ant.* Physice vel moraliter; conc. Physice: subd. Si offensus exigat: conc. Aliter, nego. Christus caput humani generis satisfacit; unde *moraliter* omnes offensores satisfacimus.

Inst. Nos non poteramus satisfacere: ergo neque debebamus; ideoque et satisfactio Christi non est ex justitia, si pro nobis solvit.

Resp. Dist. *ant.* Non poteramus satisfacere cathegorematicae; conc. Syncathegorematicae; nego. Ideoque debebamus satisfacere sustinendo aeternum odium Dei, et aeternam poenam: Christus autem totum extinxit debitum.

Obj. 7.º Ex mente D. Thomae, justitia commutativa non est in Deo: ergo nequit remittere debita vel praemia concedere ex justitia commutativa. Resp. Dist. *antec.* Justitia commutativa creata, seu imperfecta, quae versatur circa data et accepta *stricte aliena* (quam solum Aristoteles definivit ac prae oculis habuit), ejusmodi justitia non est in Deo; conc. Commutativa prout distincta ac diversa a distributiva, scil. faciens aequalitatem arithmetica, absque imperfectione: nego. Hanc quidem concedit D. Thomas in Deo reperiri: «Forma divini judicii attenditur secundum rationem commutativae justitiae (1).»

288. Obj. 8.º Christus praecipue meruit ac satisfecit per mortem suam et sanguinis effusionem. Sed Verbum nec mortuum fuit neque sanguinem effudit: ergo meritum et satisfactio Christi justam non potuerunt habere condignitatem. *Min.* prob. Mors spectat ad

(1) 2. 2, q. 61, a. 4.

corpus, effusio ad sanguinem: sed corpori mortuo et sanguini effuso non erat unitum Verbum; cum enim sint substantiae incomplete, sunt quoque ineptae ad subsistentiam: ergo non potuit Verbum mori et sanguinem fundere.

Resp. Dist. *min.* Verbum nec mortuum fuit, neque sanguinem effudit per se; conc. Per communicationem idiomatum; nego.

Ad prob. autem, dist. *maj.* Mors, *in facto esse*, spectat ad corpus, et effusio ad sanguinem; conc. *In fieri*; nego: spectat enim etiam ad compositum animatum. Ad *minorem* autem, negatur assertum. (Vide supra Thes. LXV, Scholion, n. 248, 251).

THESIS LXXII.

Christus D. est Summus Sacerdos et inter Deum hominesque Mediator.

289. Propositio est de fide. Christum Sacerdotem esse supra (Thes. LXIX) dictum est; hic intendimus, summam ejus sacerdotii excellentiam probare.

Nota autem: haec Sacerdotii Christi excellentia non est quasi supremus gradus in hierarchia aliqua reputanda; ut episcopatus in Ordine, vel papalis jurisdictio in pontificatu: sed potius est altioris ordinis sacerdotium, eminentiori continens ratione cujuslibet creati sacerdotii praerogativas.

I.^o Pars. I.^o Ex Apost. qui Christum *Sacerdotem magnum super domum Dei*, appellat (1). Item (2); unicum esse Sacerdotem, in eo, scil., eminenti Sacerdotio, docet: *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Ceteri pontifices in terris ministrant: at *Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in coelis, sanctorum minister et tabernaculi veri.* Alii in templa intrant manufacta, exemplaria verorum; Christus autem *in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Reliqui Sacerdotes alienas offerunt hostias, sanguinem hircorum, vitulorum, etc., sed *Christus per Sp. Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Plures hostias et saepe offerunt alii: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

2.^o Christus Sacerdos est constitutus ipsa Divinitatis unctione: ergo eminentius habet super omnes sacerdotium.

Ant. prob. Paulus dicit (3), non sibi sumpsisse Christum sacerdotii gloriam, sed Patrem eum clarificavisse tali honore, *qui lo-*

(1) Hebr. X, 21.—(2) Ibid. VII, 23, 24; VIII, l. 2; IX, 24, 14, 28.—(3) Ibid. V, 5.

cutus est ad Deum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et sane, propter unionem hypostaticam, capax erat summe grata Deo obsequia tribuendi, eumque placandi, ideoque sacrificia et munera pro hominibus offerendi; quod est Sacerdotis munus, ut Paulus ibidem docet.

290. 3.^o In omnibus quae spectant ad Sacerdotium habuit Christus summam eminentiam: ergo *Ant. prob.* Teste Paulo, Sacerdos ex hominibus assumitur ut pro hominibus ad Deum accedat et offerat dona et sacrificia pro peccatis (ibid.). Atqui Christus obtulit dona et sacrificia infinite grata et sancta, infinite expiatoria pro peccatis, et summe approximabat ad Deum ut pro hominibus intercedere efficaciter valeret. Ergo.

Hac de causa et Hieronymus (1) ait: «In epistola ad Hebraeos propterea Paulum solita consuetudine nec nomen suum, nec Apostoli vocabulum praeposuisse, quia de Christo erat dicturus: *Habentes ergo Principem Sacerdotum et Apostolum confessionis nostrae Jesum*; nec fuisse congruum, ut ubi Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apostolus poneretur.»

S. Hippolytus M. (2). «Primus igitur, natura Pontifex, Unigenitus Christus non sibi honorem rapuit, sed a Patre constitutus est.» Ceteri vero sacerdotes. «Constituti sunt ab ipso Christo Pontifice incomparabili.»

S. Justinus, (3). «Hic est eximius Sacerdos et rex aeternus Christus, utpote Filius Dei.» Perpendas quod sacerdotii Christi excellentiam ex ejus repetat divinitate; nempe, uti dicit Hippolytus: «Natura Pontifex.»

4.^o Sacerdotes Novi Test. sunt ministri Christi et Vicarii. Sed sacerdotium Novi Test. excellit supra sacerdotium Legis Naturae et Veteris: ergo Christus summus est Sacerdos. *Maj.* constat ex Tridentino (4), et Apostolo (5).

Min. etiam ex Tridentino (ibid.): Oblatio enim Novi Test. «Per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines figurabatur utpote quae bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio, complectitur.»

291. Dices: Christus fuit sacerdos secundum Ordinem Melchisedech: videtur ergo quod Melchisedech summum haberit pontificatum in hoc sacerdotio.

Resp. dist. *ant.* Secundum Ordinem Melchisedech, quasi fuerit formaliter ejusdem rationis; nego *ant.* Quatenus sacerdotium

(1) In Gal. c. I.—(2) L. de Charism.—(3) Dial. cum Triph. n. 118.—(4) Sess. XIV, c. V; et XXII, c. 2.—(5) I Cor. IV, 1.

Melchisedech fuit figura Sacerdotii Christi: conc. Deinde nego *conseq.* non enim figura est supra rem figuratam, aut umbra supra rem.

Inst. Etiam Sacerdotium Aaronicum figura fuit sacerdotii Christi: ergo dicendus erit Sacerdos secundum ordinem Aaron.

Resp. dist. *ant.* Aaronicum figura fuit simpliciter, idest, in omnibus quae notat Apostolus (1); nego *ant.* Secundum quid; conc.

Deinde nego *conseq.* Sacerdotium enim Aaronicum non nisi in tribu Levi consistere poterat.

292. II.^a Pars prob. 1.^o Trid. (2) docet, quod Jesus Christus, «solus noster Redemptor et Salvator est... unus Mediator Dei et hominum.»

2.^o Dicit Apost. (3): *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*; et rursus (4): *Accessistis... ad Testamenti novi Mediatorem Jesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel*. Et Joan. (5): *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Et alibi, passim, in Scripturis leges hoc Christi supremum munus.

3.^o Clemens dicit (6): «Jesum Christum, Pontificem oblationum nostrarum, infirmitatis nostrae patronum et auxiliatorem. » Per hunc coelorum altitudinem aspiciamus... per hunc voluit Dominus ut immortalem cognitionem gustaremus.»

4.^o Mediator est qui inimicitias tollit, distantia jungit: sed id fecit Christus meritis et satisfactionibus suis. Ergo noster est Mediator.

Obj. Videtur potius Spiritus S. esse Mediator, cum postulet pro nobis (7).

Resp. Nego assertum. Spiritus S. est Deus tantum, non vero *medius* inter Deum et homines: postulat autem quatenus inspirando facit nos postulare, *ut oportet*. Christus autem Deus et homo, vere et proprie interpellat pro nobis, ut ait Apost. *ibid.*: oratio enim illius ut hominis, a Verbo autem dignificata, infinitam habet ad impetrandum efficaciam.

THESIS LXXIII.

Christus meruit Angelis gratiam et gloriam.

293. Nota: duplex de hac re, vel potius, triplex habetur sententia: prima absolute negat; secunda è contra affirmat; tertia ait, gra-

(1) Hebr. VII. — (2) Sess. XXV, *De invocatione SS.* — (3) I Timot. II, 5. — (4) Hebr. XII, 22, 24. — (5) Jo. XIV, 6. — (6) Ep. ad Cor. c. 36. — (7) Rom. VIII, 26, 34.

tiam accidentalem quidem meruisse Christum Angelis, non vero substantialem. Secunda placet opinio.

Prob. 1.^o S. Gregor. M., ait (1): «Si ergo etiam Angeli »sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus creditur, quia extra eum sanctificationis gratiam invenire non possunt... Nemo electorum extra ipsum est. Quod referatur ad divinitatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet: »quia justus esse non potest, qui fidem non habet divinae Incarnationis.»

Omnium creaturarum sanctificationem Christo tribuendam docet Athanasius, supra (Thes. XLVII, ad Obj. 2.^m).

S. Thomas, (2) illa exponens verba, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, ait: «Patriarchae, Prophetae, et omnes Angeli: »quia plenitudo gratiae, quae data est Christo, est causa omnium »gratiarum quae fuerunt in intellectualibus creaturis.» Consentit et Suaretius (3).

2.^o Ex Apostolo deducimus, qui ait (4): *Ipsa est ante omnia, et omnia in ipso constant, ut sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.*

Jam vero sermonem esse de Christo homine patet ex contextu: unde sic; si gratiam et gloriam independentem a Christo habuissent Angeli, *non omnia in ipso constant, nec primatum in omnibus teneret, nec per sanguinem crucis pacificaret quae sunt in coelis.* Ergo.

3.^o Id quod est in unoquoque maximum causa aliorum existit. Sed in ordine gratiae et gloriae in Christo est maximum: ergo Christus est causa et gratiae et gloriae etiam Angelorum. Subsumo; sed Deus omnia subiecit Christo quia id meruit, ut docet Apostolus (5); ergo ex Christi merito est gratia et gloria Angelorum.

Maj. ex Sancti Thomae (6) desumitur verbis.

Min. constat supra, in Thesi XXXIV.

294. Obj. 1.^o Ait Ambrosius (7): «Habemus aliquid, quod »fortasse Angeli non habent... Nobis est natus Christus ex Virgine... Non lego Angelos, sed homines consepultos Christo et in »Christo resuscitados.»

Resp. 1.^o S. Ambrosius loquitur dubitanter; proinde non negat thesim nostram.

(1) In libr. I, Reg. I, c. 3, nn. 6, 7. — (2) In cap. I, Jo. I, 10. — (3) *De Angelis*: lib. V, c. VI, n. 12. — (4) Colos. I, 17-20. — (5) Phil. II, 9. — (6) *Contra Gentes*, l. 4, c. 77. — (7) In Ps. 118, Serm. 10, n. 14.

Resp. 2.^o Christus non est passus et mortuus, non fuit Redemptor propter Angelos: unde non fuerunt sanctificati per mortem et passionem Christi formaliter, sed simpliciter per ejus merita. In hoc sensu loquitur Ambrosius, ut ex contextu patet.

Obj. 2.^o Christus non est a Deo praedestinatus, nisi post Adae peccatum: sed ante praevisum Adae peccatum consummata erat Angelorum praedestinatio: ergo non fuit ex meritis Christi eorum sanctificatio.

Resp. Auctores qui *maiores* concedunt, in hac laborant difficultate solvenda. Dicere, nempe, debent; Angelorum praedestinationem fuisse, decreto pure intentivo, ante Christum praevisum praestitutam; ex meritis autem Christi praevisis fuisse decreto executivo completam. Haec autem responsio non omnino satisfacit, ideoque negando *maiores* facilius resolvitur difficultas.

THESIS LXXIV.

Christus est caput Ecclesiae, imo omnium hominum et Angelorum.

295. *Nota.* In capite, ait D. Thomas (1), tria considerantur; ordo, perfectio et virtus. Tenet enim caput primum locum; in eo vigent omnes sensus; virtute influit in cetera membra.

I.^a Pars prob. 1.^o Apostolus ait (2): *Operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum et potestatem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subiecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam; quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et rursus (3). *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*

2.^o Sequitur ex supra dictis (Thes. LXXII): si enim est summus Sacerdos, patet esse supra omnem Ecclesiam.

3.^o Augustinus dicit (4): «Secundum formam servi, ipse est caput corporis Ecclesiae.» S. Thomas rationem explicat (ibid). Etenim, primo: Christus locum primum et altiorem tenet, secundum propinquitatem ad Deum; gratia ejus eminentior est, et omnes alii gratiam receperunt per respectum ad gratiam ipsius. Secundo: habet plenitudinem omnium gratiarum. Tertio: virtutem

(1) P. 3, q. 7, a. 1.—(2) Eph. I, 20-23.—(3) Colos. I, 18.—(4) De Trinit. I. I. c. 12, n. 12.

habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae: ergo est perfectum caput totius Ecclesiae.

296. II.^a Pars prob. 1.^o Clare elucet ex laudatis Apostoli verbis. Insuper ait (1): *Deus exaltavit illum... ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.* Et Joannes (2): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

2.^o Tenentur omnes gentes Christo credere, et per eundem salvari: ergo est omnium caput. *Ant.* patet ex praemissis (Thes. VI et LXVI).

3.^o Christus est caput eorum qui uniuntur sibi per gloriam; quia haec est participatio gloriae et meritorum Christi, nam *qui vicerit dabo...* (3). Secundo, eorum qui sibi adhaerent per charitatem; eadem ratione. Tertio, illorum qui sibi per fidem copulantur: quia gratiae, quibus ad justificationem disponimur, per Christum habentur. Quarto, omnium quoque qui Christo adhaerent in potentia; quia respectum habent ad illum, tamquam principium per quod salutem assequi debent: ergo est omnium caput.

297. III.^a Pars prob. 1.^o Ex laudatis in I.^a parte Apostoli sententiis.

2.^o Christus est caput Ecclesiae. Sed Angeli spectant ad Ecclesiam: ergo est Angelorum caput.

Min. prob. Hieronymus ait (4): «Sed et hoc quod dicit: *ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae;* non solum hominum sed etiam Angelorum cunctarumque virtutum et rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest.» Sic et Augustinus (5): «Caput nostrum Christus est... Numquit soli nos? Et non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio saeculi fuerunt justi, adjunctis etiam legionibus Angelorum, ut illa una civitas fiat sub uno rege.»

3.^o Omnes Angeli sunt ministri Christi: ergo. *Antec.* prob. Angeli sunt *Administratorii Spiritus propter eos qui haereditatem capiunt salutis* (6). Sed Christus est summus rector et gubernator Ecclesiae, idest, salvandorum; ergo Christo ministrant Angeli. *Min.* patet ex I.^a parte, et ex Thesi LXXII.

4.^o Ex ratione, in I.^a parte theseos (sub n.^o 3.^o), facta. Etenim Christus influit quoque gratiam in Angelos, ut probatum est in Thesi LXXIII, et explicite docet D. Thomas (7).

298. Obj. Multi in Ecclesia sunt peccatores; multi quoque homines qui Christum nec agnoscunt: ergo ei non subjiciuntur.

(1) Phil. II, 9, 10.—(2) I Jo. II, 2.—(3) Apoc. III, 21.—(4) In ep. ad Eph. I, 22.—(5) In ps. 36, serm. 3.—(6) Hebr. I, 14.—(7) P. 3, q. 7, a. 9; q. 8, a. 4.
THEOL.—Tom. II. 32

Resp. cum Hieronymo (1): «Sanctos voluntate, peccatores vero »sibi necessitate habet subjectos. Atque ita fit ut etiam inimici sub- »jecti sint pedibus ejus.»

Obj. 2.º Ecclesia est visibilis: ergo Angeli non sunt membra ejus et Christi. Resp. dist. *antec.* Est visibilis quoad omnia; nego. Quoad aliqua; conc. «Influentia Christi super homines principaliter est »quoad animam... Ratione hujus conformitatis potest Christus dici »caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpus», ait S. Thomas (2).

THESIS LXXV.

Christus D. constitutus est a Deo judex vivo- rum et mortuorum, in iis quae ad salutem vel damnationem spectant aeternam.

299. Propositio est de fide.

1.º Ex Later IV. c. *firmiter.* «Judicaturus vivos et mortuos »et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam »electis... ut recipiant illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti »cum Christo gloriam sempiternam.»

2.º Ait Petrus (3): *Et praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Et Joan. (4): *Qui nocet, noceat adhuc. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Et alibi: *Omne judicium dedit Filio; ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (5).

300. 3.º Augustinus (6) ait: «Secundum hoc accepit po- »testatem judicandi, *Quia filius hominis est; nam secundum quod »Dei Filius est, semper habuit hanc potestatem.* Et in ea verba: *Omne judicium dedit Filio* (7): «Hoc dictum est, quia hominibus »in judicio non apparebit nisi Filius... Veniet in forma humana: »hanc videbunt et impii; videbunt et ad dexteram positi; videbunt »et ad sinistram separati; sicut scriptum est: *videbunt in quem pu- »pugerunt.*»

4.º Ad judiciariam potestatem requiritur judicium rectum de meritis et demeritis; voluntas efficax ad retribuendum; auctoritas seu jurisdictio in judicandos. Atqui haec omnia in Christo perfecte concurrunt: ergo. *Min.* ex supra dictis patet.

301. Obj. 1.º Ad eum spectat praemium meritis et poenam cul- pis decernere, cujus est praedestinare vel reprobare: sed haec ad

(1) In ep. ad Eph. c. 1.—(2) P. 3, q. 8, a. 4, ad 1.—(3) Act. X, 42.—(4) Apoc. XXII, 11, 12.—(5) Joan. V, 22, 23.—(6) In c. V, Jo. 27.—(7) Ibid. in 22.

Deum spectant tantum: ergo Deus solum judicandi habet potes- tatem.

Resp. dist. *maj.* Ad eum spectat, auctoritate *primaria*, praemium meritis... Conc. *maj.* Auctoritate *secundaria*, seu participata; nego. Et concessa *min.*, negatur, vel distinguitur eodem modo *consequen- tia*, vel *consequens*.

Obj. 2.º Ait ipse Christus (1): *Sedere ad dexteram meam vel sinis- tram non est meum dare vobis:* ergo caret Christus judicandi potes- tate.

Resp. 1.º Christus adjecit: *Sed quibus paratum est a Patre meo:* igitur Christus dabit, quibus dandum sit, sedere ad dexteram vel sinistram ideoque judicabit.

2.º *Non est meum dare...* principaliter, conc. Secundario, nego.

THESIS LXXVI.

Christus fuit estque Rex universi mundi, etiam quoad temporalia.

302. Nota. I.º In thesi loquimur de Christo, ut homine; quate- nus enim Deo omnia ei convenire jura, quis dubitare possit?

Nota. II.º Neque sermo est de potestate et dominio indirecto: ta- lem enim, haud dubio, habet potestatem supremam, tamquam Summus Sacerdos et Pontifex; cum omnia temporalia inservire de- beant spiritualibus (quatenus opus sit), uti animae subjicitur cor- pus.

Sermo est igitur tum de jurisdictione, tum de dominio directo et proprie dicto, non quidem humanitus, sed altioribus suscepto ti- tulus.

Nota. III.º Quidam negant, habuisse Christum eam regiam potes- tatem; ut Sotus, Bellarminus, Valentia etc. Alii affir- mant, ideoque potuisse Christum de rebus omnibus temporalibus decernere, reges mutare etc. Ita S. Thomas (2), S. Anto- ninus, Molina, Vasquez, Suarez, (3), etc., etc.

303. Prob. 1.º In SS. Literis Christus dicitur passim Rex: sed rex, in sensu obvio et communi, significat potestatem temporalem; ergo.

Confirm. 1. Dicitur distincte Rex et Sacerdos: ergo sicut habuit proprie spiritualem potestatem, ita et temporalem.

Confirm. 2. Vocatur Christus (4): *Rex Regum, Dominus dominan- tium; Princeps regum terrae.* Jam vero nemo dubitat, reges istos et

(1) Matth. XX, 23.—(2) Q. 2, a. 1, ad 3; et q. 59, a. 4; et de Regim. princ. 1, 3, c. 12.—(3) Disp. 48, de Incarn. Sec. 2.—(4) Apoc. XIX, 16; I, 5.

dominantes terram, potestatem prae se ferre temporalem; ergo et Christus eorum est Rex et princeps temporalis: quae enim est prudentia, vel quae necessitas fingendi diversos sensus in eadem voce ejusdem sententiae?

Confirm. 3.º «Ipse Dominus ait universim (1): *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*. Vel ergo potestas regia directa non est potestas, vel data fuit Christo.

304. 2.º Athanasius docet (2): «Est autem ille qui iudicat omnem terram, verus universorum Rex et Dominus noster, Jesus Christus, Filius Dei.»

S. Chrysostomus, in illa Pauli (Hebr. I.), *Quem constituit haerodem*, ait: «Haereditatis utitur nomine, ut duo per hoc ostendat; et quod proprius sit Filius, et quod dominationis illi nulla contingat amissio; haerodem autem omnium dicit, mundi totius.»

Et Anselmus (ibid.) «Quem ipse Pater secundum humanitatem constituit... possessorem omnium creaturarum et totius mundi dominum.»

S. Thomas (3) ait: «Nascitur (post antiquas Monarchias) qui fuit verus Rex et Sacerdos et verus Monarcha; unde post resurrectionem suam apparens discipulis suis dixit: *data est mihi omnis potestas*... Quod quidem ad humanitatem oportet referre, secundum Augustinum et Hieronymum, quia de Divinitate nullum est dubium, quin semper habuerit.»

305. 3.º Unio hypostatica secum fert omnem dignitatem et excellentiam; summam sanctitatem, sapientiam, Sacerdotium summum, dignitatem capitis omnium hominum et Angelorum: ergo et regiam potestatem et dominium rerum omnium.

306. Obj. 1.º In SS. Literis significatur, potestatem Christi spirituales tantum esse; ut in Ps. 2. *Ego autem constitutus sum Rex... praedicans verbum ejus*.

Resp. Nego assertum. Textus laudatus, in primis, nihil evincit; si enim munus aliquod spirituale, puta praedicandi, regi alicui conferatur, nullatenus sequitur in eo munere sitam esse totam ejus regiam potestatem: sicut si rex fiat sacerdos, non ideo auctoritas regia in sacerdotalem mutatur. Deinde, in hebraico sic legitur: *Et ego constitui Regem meum super Sion, montem sanctitatis meae*. In his autem verbis dicitur Christus Rex a Deo constitutus, absque ulla limitante voce. Quae autem, puncto interposito, sequuntur tamquam a Christo dicta exhibentur: *Praedicabo ipsum verbum* (sta-

(1) Matth. XXVIII, 18. — (2) Apolog. ad imperat. Constant. n. 26. — (3) De Regim. Princ. l. 3. c. 12.

tutum, seu praeceptum, seu dogma); *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo gentes haereditatem tuam*... Haec autem amplitudinem illimitatam Regni Christi significare, potius quam limitationem ullam, patet.

Obj. 2.º Patres siluerunt de regno temporali Christi; de spirituali autem omnes loquuntur. Ergo.

Resp. Patres omnes; nego *ant.* Plerique; Subd. Eo quod negarent potestatem Christi regiam; nego: quia urgebat Christi Regnum spirituale, quod unice *exterius* Christus exercebat, defendere et suadere adversus Judaeos; conc.

Quod si aliqui PP. temporale Christi Regnum negarunt, de fastuoso et externo Regno loquuntur; non de vera regia potestate quam invisibiliter Christus exercuit et exercet.

307. Obj. 3.º Dicit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo* (1); et alibi: *Quis me constituit iudicem?* ergo, ipsius Christi testimonio, terrena caret potestate.

Resp. ad 1.º testimonium cum Augustino (2): «Christus non dicit regnum meum non est in hoc mundo, sed de hoc mundo.» Item, S. Cyrillus (3): «Christus se quidem regem esse non negavit, verum quippe loqui decebat: sed imperii Caesaris non hostem clare ostendit, cum suum regnum terrenum haud esse significat... Quodnam autem istius rei profert argumentum? Nempe quod nec satellitibus unquam usus esset; nec defensoribus...»

Ex his autem patet pro nostra sententia haec facere. Christus accusabatur *ut homo*, quod se verum *in temporalibus* regem diceret: sed id «Christus non negavit, quia verum loqui decebat:» ergo. Quemadmodum Christus *ut homo* non aequalem sed minorem se esse dixit Patri; et noluit *ut homo* appellari bonus; *unus est bonus Deus*: ita accusatus *ut homo*, quod se diceret proprie et vere regem *in temporalibus*, negasset sane calumniam, si verus rex non fuisset. Atqui non negavit, sed modum tantum et originem exposuit, ut eluceret non adversari Caesari: *Tu dicis, quia rex sum ego: regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent*... Verbo: Pilatus et Judaei eum accusabant et ajebant, quod se diceret *regem temporalem*. Ipse fassus est: *Tu dicis, quia Rex sum ego*. Non negemus ergo nos, cum Judaeis, quod negare Christus noluit.

Ad 2.º testimonium idem respondeas. Non negavit Christus se potestatem iudicandi habere, cum *omne iudicium* a Patre accepisset (4): sed *de origine* fecit quaestionem, ut declinaret litem illam

(1) Jo. XVIII, 36; Luc. XII, 14. — (2) Tract. 115, in Jo. — (3) In Joan. l. 12 c. 10. — (4) Jo. V, 22.

et calumnias vitaret, quia non erat visibilis et ab hominibus mundana et legalis ejus potestas, sed altioris originis: *Quis me constituit judicem?*

308. Obj. 4.^o Numquam usus est potestate regia: ergo eam non habebat.

Resp. 1.^o Numquid usus est artibus omnibus, scientiis et linguis? Numquid legatus regius uti debet omnibus quibus munitur facultatibus? Propheta (1) Christo dicebat: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. At noluit uti, sed alia potius virtute: Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna.*

Causas autem quod noluerit Christus, cum apparatu, uti suo in temporalia regio dominio, vide apud D. Thomam (2).

Resp. 2.^o Nego *ant.* Christus enim usus est potestate regia, cum adorari et accipere munera a Magis, ut Rex Judaeorum, voluit; deinde, cum se liberum a tributis solvendis declaravit; cum milites, sacerdotes, principes judaeorum in horto primum repulit atque prostravit, praecepitque eis, ut sinerent discipulos liberos abire. Denique usus est regio suo dominio, ait Angelicus Doctor, dum principes seculi permisit dominari, (ibid. c. 13, et 16) et vices suas gerere.

309. Obj. 5.^o Christus exemplum perfectae paupertatis praebere voluit; ergo dominium non habuit temporale. Resp. Dist. *ant.* Paupertatis in usu rerum: conc. In dominio eminenti; nego suppositum: non enim pauper, sed ditissimus fuit quoad tale dominium.

Quod spectat ad dominium humano innixum jure, utrum illud Christus habuerit non inquirimus. Prae oculis tamen habere oportet, dominium rerum temporalium non esse imperfectionem moralem, per se loquendo, sed per accidens; quatenus occasione illius vel a cogitatione coelestium avertimur, vel rebus facile abutimur possessis. Hac de causa, cum proclivi ad malum simus, ad nostram spectat perfectionem non tantum usum rerum, quoad fieri possit, sed et proprietatem exuere; Christi autem consummata sanctitas et perfectio non illam exigebat humani domini privationem: ergo neque haec requirebatur ut nobis perfectae paupertatis praebere exemplum. Imo luculentius nobis illud exhibebat, dum summam amplectebatur rerum penuriam verus existens rerum omnium Dominus.

Obj. 6.^o Favet haec sententia Judaeorum errori, quod, scilicet, futurus erat Messias dominator terrenus: ergo non est defendenda.

Resp. Dist. *ant.* Favet per se; nego. Per accidens, seu ex igno-

(1) Ps. XLIV, 4, 5.—(2) De Regim. Princ. l. 3, c. 14, 15.

rantia et malitia, propter quam excaecati fuere; transeat. Numquid negabimus omnes fidei veritates et Scripturas, quia illis fere omnibus haeretici et impii in suam abusi sunt ruinam?

THESIS LXXVII.

Christus D. secundo veniet in gloria et potestate magna; Antichristum et imperium ipsius delebit; et electos servabit.

Nota. Supponimus judicaturum Christum D. singulos homines statim post mortem, et tandem omnes universim post generalem resurrectionem: hic ab hisce quaestionibus particulatim evolendis consultum duximus abstinere. Vide supra Thes. LXXV.

310. I.^a Pars, quae fide constat, probr.

1.^o Ex symbolis fidei: sic in *Constantinop.*: «Et iterum venturus est, cum gloria, judicare vivos et mortuos.»

2.^o Apud Matthaeum legimus (1): *Tunc parebit signum Filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli, cum virtute multa et Majestate.* Vide etiam c. XXVI, 64; et Act. Ap. III, 20; et alibi passim. Daniel quoque (2) id praevидit, quem conferas cum Apocalypsis cap. XIX, 11, 12.

3.^o Athanasius (3) ait: «Secundum quoque et gloriosum vereque divinum ejus ad nos adventum ex iisdem (SS. litt.) perdiscere poteris, cum, scilicet, non in vili forma, sed in propria gloria; non in humili statu, sed in sua majestate; nec iterum passurus, sed suae crucis fructum... omnibus redditurus veniet.»

Hieronymus (4) pariter: «Duos esse Christi adventus Domini Salvatoris, et omnia Prophetarum docent volumina, et Evangeliorum fides... Primum in humilitate, secundum in gloria.»

S. Hippolytus (vel alius antiquus P. sub ejus nomine) ait (5): «In Dei ac Patris dextera sedet, ac rursus, in mundi consummatione, judex manifestandus est. Necesse est ut ejus praecursus manifestentur... Hi itaque venientes praedicabunt futuram Christi in coelis apparitionem, facientque signa, ut vel sic convertant hominum animos.»

Pars II.^a probatur.

311. **Nota.** Etiam si fide constet Antichristum a Christo D. interficiendum, tamen non certo liquet, utrum corporaliter praesens vel in ostensione virtutis tantum, Christus illum sit occisurus. En, de quaestione hac, quid censeat P. Gregorius Valentia (6).

(1) XXIV, 30.—(2) VII, 13, 14.—(3) De Incarn. n. 56.—(4) Ad Algas. q. 11.—(5) L. Demonstr. de Christo et Antichr. n. 46.—(6) De Incarnat. div. Verbi. Disp. XI, q. 2, p. 2.